

**Dissertatio inauguralis medica sistens officia medici erga aegrum ... /
subjicit Eduardus Grünhut.**

Contributors

Grünhut, Eduardus.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Budae : Typis Regiae Universitatis Hungaricae, [1841]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/aexkqsht>

Provider

Royal College of Surgeons


License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

SISTENS

**OFFICIA MEDICI ERGA
AEGRUM**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI DIRECTORIS

SPECTABILIS

DOMINI DECANI

NEC NON

CL. CL. DOMINORUM PROFESSORUM

IN

ALMA AC CELEBERRIMA

REGIA SCIENTIARUM UNIVERS. HUNGARICA

PRO

GRADU DOCTORIS

SUMMIBUSQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME GONSEQUENDIS PUBLICO EXAMINI

SUBJICIT

EDUARDUS GRÜNHUT

PESTHIENSIS

In Theses adnexas disputabitur in Palatio Universitatis
minore die 2-a Junii 1841.

BUDAE,

TYPIS REGIAE UNIVERSITATIS HUNGARICAE.

*Trachs
1219.*

1800
1801

Bedenke immer, wer du bist, und was du sollst. Du bist von Gott gesetzt zum Priester der heiligen Flamme des Lebens und zum Verwalter und Ausspender seiner höchsten Gaben, Gesundheit und Leben, und der geheimen Kräfte, die er in die Natur gelegt hat zum Wohle der Menschheit. — Ein hohes, heiliges Geschäft! Verwalte es rein, nicht zu óeinem Vortheil, noch zu deinem Ruhme, sondern zur Ehre Gottes und zum Heil deines Nächsten. Dereinst wirst du Rechenschaft davon geben müssen.

HUFELAND.

SEINEM
THEUERN BRUDER JAC. CARL
UND
SEINER
VIELGELIEBTEN SCHWÄGERIN CHARLOTTE
WIDMET DIESE BLÄTTER
ALS
ZEICHEN DER INNIGSTEN LIEBE
UND
DANKBARKEIT.

DER VERFASSER.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.

In instinctus aegris succurrendi fons erat artis medicae, atque talis et deinceps maneat oportet, ut in emolumentum et artis et artificis cedat.

Vivere aliis non sibi in eo consistit officium medici; quietem capere, commodis aut vitae deliciis frui ut alter nequit, quin et sanitatem et vitam ipsam consecrari debet, dummodo sanitati et vitae aliorum opituletur.

Ars itaque medica quam magni sit momenti jam ex dictis liquet, nec quilibet medicus nomine hoc dignus. Verus medicus tantum vere moralis homo esse potest, nec nisi talem exercitum officii sui reddit felicem, talis solum facienda lubenti faciet animo. Vae illi medico, qui unice lucri honorisque studio intentus est! perpetuus erit illum inter et officium suum conflictus, se continuo spe delusum, laboribus nisuique nunquam satisfieri animadvertet, et tandem officium tale detestabitur, quod eum non remunerat quia veram remunerationem non noscit.

Regula, quam medicus in adimplendis suis officiis prae oculis habeat, quaeve eum semper et ubique dirigat, hisce complecti potest: omnes suas actiones ita ordinet, ut per has supremus finis sui muneris: vitae nimirum conservatio, sanitatis recuperatio, in morbis incurabilibus dolorum mitigatio consequatur.

Medicus in exercitio suae artis unice hominem consideret, et nullam faciat differentiam divites inter et pauperes, potentes et humiles. Qui plurimum patitur, qui in summo versatur discrimine, praeferatur ceteris etsi de stemmate natis. Miseratione dignus ille medicus, qui aegrum juxta opes suas aestimat, pulcherrimam is mer-

cedem non noscit. Quid enim parva pecuniarum summa respectu grati animi miseri, qui recte per hoc, quod nobis nil dicere, nil pendere potest, totum suum esse offert, et se qua aeternum nostrum debitorem declarat, dum dives per solutionem se redimit, et se ab omni ulteriori gratiarum actione liberum censet, quin suspicaretur donum suum per gratitudinis sensum altiorem primo dignum evadere, et sine illo praestitum nostrum auxilium simile illi opificis, et qualiscunque consuetae operae evadere. Non infrequenter unicus amicus, solatium unicum pauperis in tali necessitate constituti est medicus, qui et spem aegri erigendo, et divina sua arte vires ejus reficiendo divina quoque praestat.

Sunt forte nonnulli, qui hac mercede non contenti existiment per curationes pauperum sortem nostram non emendari; ast falluntur illi, noverint enim salvati miseri preces, consanati pauperis laudes nunquam silere, dum dives per honorarium medico praestitum se ingratum erga illum esse, et oblatum sibi auxilium nihili facere posse, autumat.

Quod rem medicam ipsam concernit: summam adhibeat medicus attentionem, summamque diligentiam. Nil tractet leviter, sed perspiciat cuncta quae agit, sitque de eorum veritate convictus. Non consideret aegrum qua medium, sed qua finem ipsum; non qua merum objectum experimenti cuiusdam, sed qua hominem, qua supremum finem naturae ipsius. — Actiones quidem perversae medici vix unquam a iudice puniri possunt, cum ab accuratissima determinatione obtingentis casus iudicium dependeat, et determinatio haec rarissime cum certitudine fieri possit; sed eo certius eoque magis pertimescendum est internum tribunal, coram quo se ipsum accusat, conscientia nimirum, ubi eum nullus praetextus, nulla excusatio, nec defectus accusatoris purgat. Absolvere illum tantum valet animus purus et insons, intimaque convictio, se nil intermisisse, quin potuis omnibus, qua par erat viribus adnsum fuisse adaegrum salvandum. Etsi in

posterum experientia ampliori edoctus perspexerit se meliora praestare potuisse, id certo condolebit, non autem poenitebit ipsum, non angent eum remorsus conscientiae, nam optima, quae tunc praestare valebat, praestitit. Sed caveat, ne levitate, aut pigritia inductus aut, systematis cuiusdem vel experimentationis amore immodico abreptus officii sui obliviscatur, aut aliter agat, quam agere debuisset; internus enim hic iudex non silet, et serius ocus delictorum poenas repetet.

In adimplendis officiis nostris erga aegrum, examen ejusdem religioni habere interest; prima enim functio medici in exercitio artis est examen aegri, sine hoc nec naturam morbi definire, nec therapiam rationalem condere valet; requiritur autem ad hocce examen rite instituendum, ut sensus externos pro observatione adeo necessarios, in statu perfecto conservet, ingeniumque per studia philosophica et medica strictiora excolat. Ut sinceram relationem ab aegro obtineat debet fiduciam illius mereri per sollicitudinem, quam in aegrum dirigit, per humanum agendi modum, per habitum etiam externum tam in vestitu quam in actionibus, a hilaritate, severitate, ac morositate nimia alienum, sed gravitatem cum mansuetudine junctam indicantem.

Aegrum historiam morbi enarrantem nullis quaestionibus interrumpimus; subinde aeger in se attentus ita exacte refert morbi phaenomena successive evoluta, ut quaestiones tantum paucas adjicere debeamus. Examen jam brevius iam longius necessarium pro varia morbi duratione ac complicatione, pro varia hominis aetate, sexu et conditione; aliter enim examinari debet vir eruditus, quam rusticus, aliter puella, quam senex mulier. Infantum historiam accipimus a parentibus aut nutricibus, nec sola haec sufficit; ideo denudamus infantem, et ex ejulatu, respiratione, excretionibus et aliis vitae phaenomenis saepe summa cum probabilitate morbum eruimus. In pueris, non raro etiam adultis diagnosis redditur difficilis, quod morbi celentur, aut simulentur, tunc exa-

men saepius aegro non animadvertente inopinate suscipi debet.

Duplex omnis examinis scopus, partim nempe ut symptomata omnia statum praesentem morbosum illustrantia colligamus, quod examen semioticum dicitur, neque solum sufficit, sed causarum morbum sustentantium ratio semper habenda, diciturque examen hoc aetiologicum.

Primo in omni aegro examen instituimus semioticum; ut statum vitae abnormem praesentem cognoscamus, ordinem aliquem observare e re est. E relatione aegri rescimus, quae pars maxime abnormis, inde examen inchoamus.

Cum functiones vitae organicae potentiis nocentibus maxime expositae plurimum a norma recedant, de his ut plurimum investigationem inchoamus, et quidem rescimus conditionem famis et sitis, an anorexia, apositia, an bulimia, an malacia; an adipsia, polydipsia adsint.

Cognita conditione instinctuum horum naturalium progredimur ad examinandas functiones, per quas alimenta et potulenta in corpore vivo ita immutantur, ut nutritioni corporis idonea reddantur, hinc attendimus in infantibus ad suctionem, in adultis ad masticationem, an facile, sine molestia perficiantur, inspiciendo simul organa quibus suctio et masticatio perficiuntur, ex his peculiarem sibi attentionem vindicat lingua organon summi momenti, et ad masticationem, deglutitionem, vocis et loquelae formationem, ac ad gustum necessarium, multas in organo hoc animadvertimus mutationes, quae indicant statum abnormem partim ipsius linguae, partim aliarum partium quibuscum connectitur. Lingua in statu morboso saepe sicca jam majori, jam minori in gradu, jam in tota superficie, jam tantum in parte aliqua, frequentissime in medio; subinde haec siccitas tanta est, ut fissurae enascantur, saepe lingua impura, spurca tegitur crusta mucosa alba, flava, brunea, nigricante, jam tenuissima jam crassa, jam laxae adhaerente, ut facile ablui possit,

subinde adhaesio tanta est, ut deradi non possit. Ex conditione hac linguae concludimus saepe ad statum abnormem ventriculi et tubi intestinalis, caute tamen, cum haud ignoremus, ventriculo sano existente linguam saepe impuram esse; nam aliqui homines et sani linguam impuram habent, ita per alimenta, potulenta acriora, fumum tabacae et morbos topicos cavi oris, fauciumque, secretio in cavo oris aucta ac imminuta linguam plus minusve impuram reddit. Dum superficiem linguae lustramus, adnotamus simul an adsit inflammatio, ulcus, induratio, cancer. Adnotamus et mobilitatem linguae, an sensibilitas relate ad gustum sit normalis, an sapor amarus, acidus, alcalinus. Considerantes palatum adnotamus an adsit fissura vel perforatio in cavum narium penetrans. Attentionem dein convertimus in glandulas salivales, an sint tumidae, dolorificae, inflammatae, induratae, an salivae quantitas et qualitas normalis, an fluxus salivae nimius, vel os siccum, forte ob secretionem et excretionem impeditam, per statum adynamicum, paralyticum, aut eminenter inflammatorum, vel quod ductus salivales obstructi sint per mucum spissum, vel calculum salivalem, vel compressi per tumorem vicinum. Et halitum oris distinguimus, an habeat odorem peculiarem, forte ab ingestis vel a saburra in ventriculo generata, vel a secretionem morbosa in cavo oris, aut in partibus vicinis, in trachea, bronchiis, pulmonibus; an halitus sit calidus, frigidus.

Examinatis organis masticationis progredimur ad examinandum statum organorum deglutitionis, nempe isthmi faucium, pharyngis et oesophagi. Ore aperto, maxillis diductis, lingua depressa, lumine ad fauces admissa saepe conditionem harum partium visu cognoscimus, an in isthmo faucium adsit rubor, an uvula sit nimis longa, vel nimis brevis vel deficiens per vitium congenitum, aut consumpta per ulcera inprimis syphilitica; subinde est duplicata, bifurcata, crassior, dura, scirrhusa, ulceribus obsessa. Tonsillae non raro tument, indurantur, inflam-

mantur, et ulceribus chronicis devastantur. In pharynge et oesophago reperiuntur jam ulcera, polypi, condylomata; jam musculorum spasmi, paralyes, quos status morbosos ex conditione functionis cognoscimus, ideo rescimus an deglutitio sit facilis, vel difficilis, dolorifica, an alimenterum omnium, vel tantum liquidorum, vel tantum solidorum, an difficultas haec sit continua vel tantum per vices recurrens; subin alimenta et potulenta deferuntur per pharyngem in oesophagum ad aliquam distantiam, sed inde regurgitant, ita e phaenomenis omnibus collectis definimus cum probabilitate, an dysphagia sit spasmodica, vel inflammatoria, vel paralytica, vel a vitio quodam organico inducta.

Sequitur examinatio nunc organorum digestionis et chylificationis. Ut statum ventriculi cognoscamus rescimus ab aegro an digestio cibi sit facilis, vel an post ingestionem aliquorum aut qualiumcunque ciborum experiatur in regione epigastrica incommoda, sensum inflationis, distentionis, pressionis, constrictionis, frigoris, ardoris, quibus subinde difficilis respiratio, capitis gravitas et somnolentia junguntur. Adnotamus, an non adsint ructus; non raro adsunt nausea, vomituritio et vomitus, tunc examinamus, quando et quoties vomitus locum habeat, quid et quantum vomitu ejiciatur. Quae dum rescimus et tactu regionem ventriculi exploramus, sic subin distinguimus extensionem illius morbosam, indurationem, jam in cardia, jam in fundo ventriculi frequentissime in pyloro.

Sic quoque conditionem intestinorum investigamus, frequenter per tactum solum sedem principalem morbi cognoscimus, clarior tamen diagnosi redditur dum ab aegro rescimus, an post horas 4, 6, 12, ubi communiter chymus in intestinum duodenum transit, producantur incommoda, quae aeger saepe accurate describit: comparent nempe flatus cum doloribus, calore simul et inquietudine auctis. Rescimus ab aegro an functio intestini crassi sit normalis; in specie an alvus sit constipa, morosa. rara,

vel nimis frequens, an aeger experiatur nisum doloricum alvum deponendi. Ipsa excrementa evacuata saepe examinare oportet, an colorem, odorem, consistentiam congruam habeant, an contineantur in excrementis vermes, polypi, vel calculi, an faecibus nullis praesentibus cibi indigesti, vel saltem mucus, serum, sanguis, bilis evacuetur.

Progredimur porro ad cognoscendum statum aliorum viscerum, tale viscus est hepar, in quo examinamus secretionem et excretionem bilis; non raro secretio haec est nimia, unde febris biliosa, et alii morbi, subin secretio est imminuta; non raro excretio bilis in intestinum duodenum est impedita, tunc producitur icterus; saepe excretio bilis est largior, ita ut per saburram biliosam jam vomitus, jam diarrhoea, jam cholera biliosa producantur; atque tunc et qualitates bilis evacuatae adnotamus, saporem, odorem, colorem, consistentiam. Ut laesae functionis causam detegamus visu et tactu regionem hypochondriacam dextram examinamus, et subin hepatis volumen auctum, imminutum, indurationem, inflammationem, tubercula detegimus

Regio quoque hypochondriaca sinistra investigari debet, status enim morborum Lienis processus vitae organicae vario modo turbant, et vitam animale melancholiam inducendo laedunt. — Et Pancreas, vasa lymphatica et glandulae lymphaticae per mesenterium distributae digestionem et chylicationem multum modificant, statum tamen abnormem harum partium tactus ope ex symptomatibus in cavo abdominis observatis cum exigua probabilitate cognoscimus.

Magna est in processu vitae organicae dignitas organorum uropoëticorum, renum, ureterum et vesicae urinariae; ideo nunquam intermittimus urinam investigare, et quidem attendimus ad quantitatem urinae secretae et evacuatae, comparisonem instituendo ad quantitatem alimentorum et potulentorum ingestorum; an urina nimis pauca vel copiosa; an sit limpida, coloris dilute flavi,

citrini vel straminei, ut in homine sano; an sit excolor ut post ingestam copiosam aquam, dicitur urina potus, et talis observatur in morbis spasmodicis; non raro est urina limpida, coloris flavo — rubescentis in morbis inflammatoriis, et vocatur flammea; subin est profunde flava, crocea, flavo — fusca et linteamina colore tingit flavo, talis observatur in polycholia, in febris biliosa; subin est fusca, spissa in hydrope; non raro turbida, dicitur jumentosa ut in febris gastrica ect. Attendimus ad mutationes, quas urina in quiete relicta subit, an maneat limpida, an turbetur; an excretio sine omni molestia, an aegro inscio vel nolente vel cum adstrictione fieri debeat, aut poenitus impedita sit.

Organa genitalia in morbis plurimis sunt iudiferentia, propterea non investigamus conditionem illorum in omni aegro, tantum suspicione exorta de sede morbi in genitalibus; hinc in sexu masculino inquirimus, an status mobosus per erectiones nimias, per pollutiones nocturnas, diurnas, coitus excessivos inductus sit; an in urethra sub evacuatione spermatis dolor nullus observetur, an non evacuetur loco spermatis sanguis, pus. Visu et tactu saepe opus est, ut definiamus, an fabrica penis sit normalis, an adsint vitia organica; an in scroto adsint testiculi ambo et sani, vel tantum unus vel nullus, forte adhuc in cavo abdominis reconditi, vel per castrationem aut exulcerationem consumti.

In examinandis functionibus genitalium foemineorum pudicitiae rationem justam habemus; saepe ipsa candida narratio aegrae sufficit ad conditidnem genitalium cum probabilitate magna definiendam, non raro tamen necessaria est investigatio per obstetricem vel obstetricatorem. Rescimus nempe quandonam fluxus catamenialis compaerit prima vice, sub quibus phaenomenis, quando reversus sit, an regulariter omni quarta septimana, vel citius, seruis; quamdiu duraverit, an symptomata simul morbosa illo durante adsint. Adnotamus et quantitatem et qualitatem sanguinis evacuati. In muliere gravida, quae

phaenomena post conceptionem subsecuta sint examinamus.

Praesentibus symptomatibus morborum cautela magna necessaria, ut cognoscatur, an symptomata illa morbosa ex integro vel saltem pro parte dependeant a graviditate, vel praesente graviditate per potentias alias nocentes provocata sint. Attendimus quoque ad signa partus, partum fors praematurum praeventimus, et in partu difficili impedimenta eruere et remove conamur. In puerpera aegrotata quaerimus, an post partum contractio abdominis et uteri debite contigerit, an lochia quantitate et qualitate normalia sint, an mammae lac rite secernant, an tumores lactei inflammatorii puerperam adfligant. Tempore incipientis senectutis, dum fluxus catamenialis cessat, attente uteri conditio examinari debet.

Praeter hactenus allata ad statum abnormem organorum in cavo abdominis contentorum cognoscendum, visum et tactum adhibere necesse est; per ultimum horum aegro in situ jacente et quidem dorso collocato, attractis genibus et relaxatis sic musculis abdominalibus percipimus visceris singuli situm, volumen, tumorem, mollitiem, duritiem; subin percussione moderatam adhibemus.

Hac examinatione finita progredimur ad investigationem organorum cavi pectoris, quorum ope functiones vitae organicae, circulatio nempe et respiratio perficiuntur.

Ad conditionem organorum respirationis cognoscendam attendimus et quaerimus ab aegro, an respiratio sit facilis, libera, in omni situ, vel difficilis, et quidem semper vel tantum, dum diutius loquitur, dum sedet, vel ambulat vel in alterutro latere jacet? An respiratio sit brevis, profunda, frequens, anhelosa? An respiratio abdominalis vel sublimis. Saepe strepitus percipitur in larynge, trachea, in bronchiis minor: sibilus, vel major strertor. Non raro respiratio conjuncta est cum dolore premente, pungente, constringente, subin ita impedita,

ut suffocationem minetur, subin nulla est; examinamus porro, an adsit tussis et haec vel sicca vel sputis juncta, horum quantitatem et qualitatem. Vocis et loquelae conditionem examinare non intermittimus, ideo attendimus an vox a statu normali recedat, vel sit acuta, peculiari modo sonora, vel obtusa, profunda, rauca, debilis.

Ut conditionem organorum circulatoris sanguinis cognoscamus, attentionem dirigimus ad motum cordis, qui iam excessivus, jam imminutus, jam nullus, irregularis, inaequalis est. E motu cordis concludimus ad ipsius cordis energiam, irritabilitatem excessivam vel imminutam, conditionem sanguinis; cum autem conditio sanguinis dependeat e lymphâ e chylo parata, ideo motus cordis et indicat conditionem chylicationis et assimilationis; et quia functiones hae vitae organicae dependent a statu dinamico systematis nervosi, ideo criterium magnum possidemus in motu cordis. Raro tamen cordis motum immediate exploramus, sed tangimus arteriam, plerunque radialem. Pulsus quidem arteriae non est criterium fallax, sed combinando cum aliis symptomatibus diagnosim multum illustrat. Praecipue hic necessum foret conditionem pulsus in statu sano nosse, et sic aberrationem dijudicare. Cautela etiam haec observanda, ut primi ictus non numerentur, pulsusque non uno digito sed manu tota exploretur.

Ut organorum respirationis et circulationis conditionem exactius definire possimus, investigamus fabricam thoracis totius in quantum a norma recedat, an adsint difformitates, curvaturae, fracturae ossium; subin et percussionem adhibemus et Stethoscopon, cuius ope distinguimus strepitum respirationis, pectoriloquium, tinnitum metallicum, in corde strepitum peculiarem a motu sanguinis inductum, ut et motus cordis extensionem, fortitudinem et aequabilitatem.

Functionibus vitae organicae adnumeramus quoque sanguificationem, nutritionem, thermogenesisim, secretiones et excretiones varias, quarum conditionem in omni

casu individuali cognoscere interst; quare attendimus ad colorem cutis, turgorem vitalem, ad statum torosum vel macilentum, flaccidum. Simul adnotamus mutationes in cute contingentes; an sensibilitas ejus sit aucta, immunita, peculiariter modificata, ut sub fornicatione, an secretio in cute, perspiratio sit exigua, cutis arida, vel sudore obtecta, an sudor contingat cum lavamine vel morbi incremento; an sit partialis, universalis, calidus, frigidus. An cutis sit mollis, dura, pallida, rubra, flava; ulceribus, vulneribus, tumoribus variis obsessa; an animadvertantur herniae, prolapsus.

Organorum vitae organicae conditione cognita, definire conamur statum organorum, et functionum vitae animalis, quem in finem examinamus conditionem sensuum externorum, inter hos attentionem nostram provocat coenaesthesia, cuius ope aeger informatur de statu bonae et malae valetudinis, percipit dedolationem, lassitudinem, anxietatem, pruritus, calorem. Sensationes hae subjectivae non sufficiunt ad diagnosim justam construendam, nam coenaesthesia in diversis hominibus, imo in uno eodemque homine diversis temporibus variat, jam obtusa, jam exaltata, jam alienata est.

Sic quoque investigamus conditionem reliquorum sensuum, tactus, gustatus, olfactus, de quo adnotamus, an exaltatus, obtusus, vel alienatus, qui status morborum vel dependent ab alienatione systematis nervosi, vel quod nares sint obstructi, concreti, vel quod in cavo narium vel sinibus sit inflammatio, exulceratio, excrescentia, polypus, caries.

Praecipua attentio convertenda in visum et ob morbos topicos, et quod ex visu illustretur indoles aliorum morborum; in morbis sthenicis visus peculiarem vigorem ostendit, contra in asthenicis. In inflammationibus multis, imprimis in encephalitis adest lucis impatientia, mobilitas pupillae et coarctatio ejusdem magna; in statu verminoso pupilla est dilatata, in morbis encephali gravibus, ut hydrope cerebri, apoplexia, epilepsia pupilla

est immobilis. Et color varius; ita in morbis inflammatoriis conjunctiva rubore suffunditur, in ictero flavo colore tingitur, in hydrope, febribus intermittentibus, chlorosi etiam superficies interna palpebrarum pallida est. Ab aegro simul quaerimus, an sub exercitio visus nullam molestiam percipiat, an scintillas, aut nebulas in oculo volitantes observet.

Ad organon auditus summam quoque attentionem convertimus, hujus etiam sensibilitas nonnunquam est exaltata, ita ut sonus dolorificam excitet sensationem, quod inducitur vel per inflammationem, vel per solam hyperaesthesiae, non raro auditus difficilis, obtusus, nonnunquam peculiariter mutatus. Hae diversae mutationes auditus excitantur saepe per causas extra organon auditus sitas, ut per status morbosos dentium, cerebri, frequenter tamen et causa morbi in ipso organo residet; ideo inspicimus auriculam externam, an detegantur inflammatio, exanthemata, vel alii status morborum in meatu auditorio externo; an adsint corpora peregrina, profluvium mucosum, puriforme, cruentum, condylomata, cerumen induratum. Saepe in partibus externis nullus detegitur status morbosus, tunc symptomatibus rite inter se combinatis cum aliqua probabilitate concludimus ad statum abnormem in partibus internis.

Ad cognitionem sensuum interiorum non raro enarratio morbi per aegrum facta sufficit, quae nos convincit de facultatibus ejusdem intellectualibus, de gradu culturae; saepe tamen longior requiritur observatio, inspectio aegri diversis temporibus, ut dijudicare possimus, an adsit defectus facultatum intellectualium, an tantum memoria labefactata, vel et iudicium, ita ut aeger iudicium nullum vel tantum erroneum ferre valeat, quod delirium dicitur, subin tantum ad unum objectum vel seriem objectorum saepe ad plurima, delirium jam triste, jam jucundum, jam furiosum est.

Huc et motus muscularis spectat imprimis voluntarius, an alacriter vel difficulter vel plane non perfici possit.

An spasmi adsint et hi vel tonici vel clonici, partiales vel universales.

Vigiliae quoque et somni statum adnotare debemus, an pervigilium, vel agrypnia, coma vigil, lethargus vel carus adsit; an somnus sit pacatus vel inquietus, lunatici surgunt et actiones vigilantium perficiunt.

Ad diagnosim rite construendam examen semioticum non sufficit, sed causas quoque erruere necessum est. Causae autem morborum triplices sunt: praedisponentes, scilicet, excitantes, et causa proxima.

Causae praedisponentes vel sunt haereditariae a parentibus in soboles transplantatae, vel congenitae in utero matris per influxus varios durante graviditate ortae. Dispositionem ad morbos post nativitatem largitur primo aetas.

Aetas prima infantilis et puerilis ob fabricam tene-riorem, ob irritabilitatem et sensibilitatem facillime morbis corripitur organorum digestionis, chylicationis et cutis. Superata aetate puerili, in aetate adolescentiae et juvenili evolutio totius organismi incrementa capit nova quotidie, inprimis congestio sanguinis major locum habet in pectus, quod animi adfectibus saepe multum exagitur; ideo hac aetate morbi pectoris, pneumorrhagiae frequentes sunt. In genitalibus contingit nova et insolita secretio, per quam non solum dispositio ad morbos genitalium, sed etiam ob mutationes in organismo evolutas aliarum partium observantur, inprimis hyperkinesiae et inflammationes diversae. Aetate quidem virili organismo maxime evoluto existente peculiaris dispositio non est ad morbos, in multis tamen congestiones sanguinis majores in abdomen, ideo ad haemorrhoides, arthritides, calculos major dispositio. Sed saepe apud multos haec vitae periodus brevissima, partim ob dispositiones ex praegressis aetatibus, inprimis autem ob vitam per excessus enervatam cito adducitur aetas senilis. In hac dispositio ad morbos cum torpore, ad infarctus, obstruc-

tiones ; major quoque est in senectute congestio sanguinis in caput, propterea dispositio in apoplexiam.

Ad causas disponentes pertinet et sexus. In genere masculinus robustior magis pronus ad morbos energicos; sexus femineus tenerior ac sensibilior magis dispositus est in dolores, spasmos, hyperkinesiam hystericam; ob genitalia magis extensu, ob functiones illorum multiplices, morbi sexus feminei multiplicati sunt.

Influxus externi referuntur quidem ad causas excitantes, saepe tamen ubi lente solum in organismum agunt praedisponunt in morbos, huc spectant:

Atmosphaerae noxia conditio, quae variat pro diversitate situs loci, pro diversitate climatis, ideo ab aegro ignoto quaerimus ubi natus, ubi vitae partem majorem transegerit, in montibus, planitie, ad mare, fluvios, in regionibus frigidis vel calidis.

Alimenta et potulenta, qui cibus solum animalibus utuntur disponuntur magis in morbos sthenicos, qui solis vegetabilibus in asthenicos, ita spirituosa provocant dispositionem ad haemorrhagias, propterea de omni aegro rescimus, an in diaeta moderatus vel excessivus fuerit, et qua specie alimentorum et potulentorum usus fuerit.

Cum vitae genus etiam influat in dispositionem ad morbos, hinc rescimus ab aegro, an stando, sedendo, in aere libero vel ad aquam ect. labores perficiendos habeat. Nec parvi faciendus influxus religionis et educationis physicae ac psychicae in dispositionem ad morbos diversos.

Determinatur porro dispositio per constitutionem individualement, ita constitutio firma magis resistit influxui potentiaram nocentium, quam debilis, sic dantur peculiare constitutiones in peculiare morbos disponentes, uti constitutio arteriosa, venosa, gastrica, lymphatica, nervosa. Nec minorem influxum habet temperamentum: Cholericum praedisponit ad morbos energicos et biliosos; phlegmaticum ad asthenicos; sanguineum ad congestio-

nes sanguinis, haemorrhoides, inflammationes; malancholicum ad morbos chronicos.

Ut dispositionem morbosam cognoscere possimus, quaerimus ab aegro an perpessus sit tales morbos, qui sui dispositionem delent, ut variolas, morbillos, scarlatinam, tussim convulsivam, vel tales, qui potius augment dispositionem ad morbum eundem vel alios.

Praesente dispositione ad morbum provocandum requiruntur causae excitantes, has itaque eruere debemus, sunt autem diversissimae, et quidem vel extra nos posita, uti atmosphaera, alimenta et potulenta, pharmaca incaute et inepte adplicata, venena diversa, vestimenta corpus constringentia, habitationes humidae, vel contagio infectae, violentiae externae tam mechanicae, quam chemicae; vel latent causae excitantes in ipso organismo, sic si functiones organismi vivi non peragantur secundum normam, morbi diversi generantur; ita per masticationem non perfectam, imperfecta redditur et digestio, per hanc et chylicatio, et assimilatio; et sanguificatio, nutritio et secretio abnormes evadunt, et generantur morbi gastrici, saburra diversa, plethora. Sic quoque profluvia et retentiones generant morbos asthenicos diversae formae. Sic ob functiones vitae organicae abnormes generantur pus, excrescentiae variae, eformantur cacochymiae, cachexiae.

Saepe et functiones vitae animalis ad momenta pathogenetica pertinent, ita per motus musculares voluntarios et excessivos et deficientes, per exercitium continuum vitae animalis per vigiliam protractam, aut per somnum diuturnum, per adstrictionem nimiam facultatum intellectualium, frequentius adhuc per animi affectus, subin per gaudium inopinatum, saepius per tristitiam, metum, terrorem, iram, desperationem, zelotypiam, invidiam, odium morbi diversi producuntur.

Ipsi morbi in organismo tales mutationes inducunt, ut aliorum morborum causas excitantes constituent.

Erutis causis praedisponentibus et excitantibus causam proximam eruere conamur, scilicet statum illum dynamico-organicum a sanitate recedentem, quo posito morbi phaenomena comparent. Causae autem proximae morborum resident et in solidis et fluidis et in energia vitae, hinc in omni casu individuali conditionem illorum definire conamur.

Colligimus ideo cuncta, quae morbum praecesserunt, symptomata omnia praesentia, causarum nocentium indolem examinamus, et sic de natura individuali morbi praesentis iudicium ferimus, i. e. diagnosim facimus. Ut iudicium nostrum aliis communicare possimus, morbus denominari debet. Nomen congruum erit illud, quod statum abnormem praesentem et relate ad symptomata, et relate ad causas morbi exprimit, sed ob cognitionem imperfectam causae proximae, huic desiderio raro respondere possumus, ne tamen singulus medicus secundum opinionem suam morbum denominet, et confusio nominum oriatur, retinemus nomina a nosologis celebribus usu recepta.

Diagnosi morbi stabilita, prognosis struenda; hic prudentia et cautela magna opus est, ne nobis ignorantia objiciatur; nam morbi mitioribus nonnunquam symptomatibus stipati exitum funestum nanciscuntur, nunquam tamen morbos manifeste leves pro periculosis declaramus, ut meritum curae nostrae augeamus. Nec periculum si quod adest aegro unquam communicemus, imo vero spem conservandae vitae et sanitatis restituendae apud illum semper alimus. Certum enim est quod metus mortis, praecipue anxietas et terror venena sint periculosissima, quae vim vitalem immediate exhauriunt; cum e contra spem conservare et animum aegri erigere sint revivificantia optima, quae saepe medicamentis efficacissimis plus efficiunt, et sine illis certo remedia indicatissima non coronantur successu felici. Ne tamen ignorantia nobis objiciatur agnatis et amicis aegri sollicitudinem nostram nonquam celamus, imo eos mature informamus,

ut ea, quae necessaria esse censent scopo politico aut religioso disponant. Nos ut medici aegrum curare et quidem sanare intendimus.

Therapiam dein morbo adaequatam adornamus, et quidem indicationem primam desumimus a causis excitantibus, quas removemus. Saepe tamen haec amplius non agunt; saepe cito removeri non possunt, effectus earum in organismo perdurant; et tunc indicationem secundam desumimus a causa proxima morbi. Remedia in hunc scopum diversa adhibemus, et quidem primo diaetetica, ubi tamen haec insufficientia sunt ad crises adducendas, ibi pharmaca quoque in usum vocamus; ut his recte uti valeamus oportet eorundem virtutem medicam, formam, dosim et adplicationis modum exacte nosse.

In formulis concinnandis circumspectione et attentione summa opus est; est enim resultatam ultimum nostrarum investigationum, unicum documentum permanens artis mostrae, et quam facile parvus error vitam hominis periclitatur hinc singuli medici officium inviolabile est perlectio formulae exaratae.

Quod remedia attinet, circa haec quoque cautela ea observetur, ut periculosa dosibus talibus qua facile nociva evadunt, manibus aegrorum non concedantur.

Ubi fieri potest non magni pretii remedia praeferantur caris, indigena exoticis. Tamen et spectat ad mitigationem mali expensas imminuere, adminus non ultra modum augere, et ad officia fidelis civis statui sumtus in exteris oris compendii facere. Et reipsa turpe et detestabile est, apud homines tenuis fortunae huius non habere respectum, et ipsis vitam conservare, simul tamen remedia vitae rapere.

Valde momentosum est pro medico Protocollum aegrorum. — Ubi diei tumultus cessat et silentium vespertini temporis ad meditationem invitat, tunc aegris suis puucas adhuc horas consecret; momentosissima scilicet pancta historiae morbi, suas reflexiones, suam opinionem de origine et cura morbi, remedia jam adhibita

describat, et cuncta denuo recogitet. Haec sit occupatio ejus vespertina, et nulla transeat dies, ubi aegris ultimum hoc officium non praestet, et sic operi coronidem imponat. Hic in silentio noctis multa ei aliter apparebunt, ac de die, hic inveniet multorum explicationem, quae tempore distractionis diei explicari non poterant. Hoc tantum momento, ubi interna vita evigilat, objectum suae meditationis in internam quoque vitam transire potest, et tunc primo verum commodum perspiciet, veram audaciam acquirat. Nam hoc est nostrum, quod intimum nostrum sensum explet, quod nos semper et ubique nobis insciis quoque comitatur; et a tali solum medico re sua sic animato sperandum, eum magna quondam praestitutum.

Theses defendendae.

1. **M**edicina generi humano absolute necessaria.

Hinc

2. Placitum, genus humanum carere quondam potuisse Medicina, erroneum. Atque hinc
 3. Summa Medici dignitas.
 4. Omnes febres initio tractamen antiphillogisticum postulant.
 5. Degeneratio sanguinis putrida in organismo vivo non existit, nec potest existere.
 6. Oculus humanus est organismi quasi repetitio.
 7. Praxis pauperum sortem nostram emendat.
 8. Physiognomia aegri — grave momentum pathognomonicum.
 9. Dolor est beneficium naturae.
 10. Natura sanat medicus curat morbos.
-

THESE HONORARIAS

- 1. Medicinae doctori honorario, et sicuti in eadem
- 2. Medicinae, et sicuti in eadem
- 3. Medicinae, et sicuti in eadem
- 4. Medicinae, et sicuti in eadem
- 5. Medicinae, et sicuti in eadem
- 6. Medicinae, et sicuti in eadem
- 7. Medicinae, et sicuti in eadem
- 8. Medicinae, et sicuti in eadem
- 9. Medicinae, et sicuti in eadem
- 10. Medicinae, et sicuti in eadem